



Breviarium Chronologicum Veteris Testamenti Rerum Gestarum

Ab Orbe condito Vsque ad Christum natum Synopses complectens.
Xenivm Academicæ Sodalitati Dominorum, B.M.V. Annuntiatae Herbipoli
oblatum

Sacerdotium Ducale ... - Complectens Synopses Sacræ & profanæ historiæ
à fine captivitatis Babylonicæ & Hebræorum Ducum ac Persicæ
Monarchiæ initio usque ad Christum natum

Gartner, Michael

Herbipoli, 1697

Scientiis & artibus celebres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65122)

condita ab Eumene * Onias filius Pontificis Oniæ conditor Heliopoles * Sebaste solo æquata ab Hyrcano Pontifice Judæorum, & ab Herode in honorem Augusti instaurata * Nicopolis condita ad memoriam pugne Actiacæ * Herodes conditor Cæsareæ in honorem Cæsaris; vocabatur autem turris stratonis * Idem condidit Antidonam, Antipatridem & Herodionem in Antipatri & suum honorem *

— 95 90 — 95 90 — 95 90 — 95 90 — 95 90 — 95 90 — 95 90 —

S. 9. *Persona scientiis & artibus celebres.*

MENEDEMUS Erethriensis Philosophus tantæ apud suos auctoritatis fuit, ut gubernacula urbis ei cederentur; septem diebus ab omni cibo abstinere potuit absque valetudinis detrimento, vixit temporibus Antiochi Magni.

THEOPHRASTUS Cresius Philo-
lofo.

iosophus, primò Platonis, postea Aristotelis auditor ; vir singularis prudentiæ & admirabilis eloquii, discipulum habuit Nicomachum filium Aristotelis, dicere solitus ad auditores suos : *fily tempus pretiosissimum sumptus est, item ad amicos aiebat: fides coagulum est amicitia, amico ea exhibere te decet, qua ab eo tibi expulso exhiberi velles.* Libris multis editis nomen suum & memoriam propagavit.

MENANDER Poëta comicus, discipulus *Theophrasti*, familiarem sibi habuit eandem sententiam, quam D. Paulus postea scripsit, *corrumpunt bonos mores colloquia prava* ; mortuus Olymp. 122.

PHILEMON Poëta comicus, *Memandri* æmulus, mortuus est ex immodico risu, quo captus est, cum videret asellum comedentem ficus.

DEMETRIUS PHALEREUS Philosophus & *Theophrasti* discipulus, ab Atheniensibus, quibus præfuit per decem annos, trecentis & sexa-

sexaginta æreis statuis est honoratus, eo quòd civitatem redditibus & ædificijs plurimis auxerit. Sic quidè præfens honoratus est: cum autem abesset, omnibus statuis dirutis traduxerunt eum & infamârunt. *Demetrius* autem ad calumnias & probra, quæ illata sibi fuisse audit, pacatè respondit: *imagines, non autem virtutem everterunt, cujus gratiâ illa erecta erant.* Sæpius auditus est dicere, *tantum eloquentiam valere in republica, quantum in militia ferrum.* Plures fuerunt *Demetrii* scientiis clari, sed inter omnes *Phalereus* excelluit, mortuus circa annum mundi 3749. auctoritate suâ impetravit à *Ptolomæo*, ut *Athenienses* Democratiâ iterum regerentur.

ZENON stoicus Philosophus ante Chr. 275. variis editis libris clarus dicere solitus: *sepultus apud te sit sermo tuus, quem tu solus audieris:* inediâ consumptus est anno m. 3784. ante Chr. 269.

CHRYSIPPIUS natione *Clius*, stoicus

icæ sectæ Philosophus & ZENONIS
collega, quorum doctrina erat posse
omnem animi perturbationem penitus ho-
minum mentibus eradicari; id summum
bonum esse, quod honestum, nihil deesse
ad rectè vivendum, in quo virtus est.
Chrysippi Symbolum erat: Sapiens
nullâ re eget, & multis rebus illi opus est;
& contra stultis nullâ re opus est, nullâ
nim re scit uti, sed omnibus eget.

POLEMON Philosophus Atheni-
ensis cùm juventutis esset valde lubri-
cæ, cùm Xenocratem audiisset de pudici-
tâ perorantem, ita se emendavit, ut
cum singulari scientia, hâc quoque
gemmâ virtutum omnibus præluce-
ret, eidemque in schola succederet.
Obiit an. m. 3782. ante Chr. 267.

ARATUS Asianus Poëta & Astro-
logus clarissimus, quem Antigonus
Macedoniæ Rex continuè secum re-
tinuit, & plurimum honoravit.

STRABO Lampfacenus Philoso-
phus & Orator præstantissimus, præ-
ceptor Philadelphi regis, à quo talentis
tre-

trecentis donatus fuit : Fuerunt alii quoque septem hoc nomine appellati variis scientiis insignes.

SILPHON Megarensis Philosophus, qui cum patria suâ ab hostibus expilatâ interrogaretur, quid suppellectilis sibi retinisset, quod secum asportaret, respondit: *ego mea in pectore, & non in seapulis porto.*

CRATES Atheniensis Philosophus auditor Polemonis ejusq; successor, quem adeo amavit, ut non vellet post mortem alio, quàm præceptoris sui sepulchro condi.

CRATES Philosophus Thebanus de hoc S. Hieronymus scribit, magnum auri pondus in mare projecisse & dixisse. *abi à me venenum divitiarum, vos potius mergam, quàm ego demergar à vobis.* Fuerunt & alii hujus nominis Crates, sed iste celebrior vixit temporibus Philadelphi.

ERASISTRATUS medicus Atheniensis temporibus Philadelphi medicus

dicus insignis, qui cum Antiochum regem ex gravissimo morbo sanasset, à Ptolomæo rege, filio Antiochi centum talentis donatus est.

LYCON Troadensis Philosophus circa eadem tempora, vir eloquio nitidissimus, & vestium mundicie cultissimus, per 40. annos artibus eximiis juventutem excoluit, & demum podagræ doloribus consumptus est.

TYMON APOLLONIADES Philosophus charissimus Ptolomæo Philadelpho.

JESUS filius SYRACH, natione Hebræus temporibus Ptolomæi Philadelphi Evergetis, floruit Hierosolymæ: multâ scientiâ & rerum experienciâ clarissimus, putatur nepos vel abnepos JESU SACERDOTIS MAGNI cum Zorobabele reducis ex Babylone sub Cyro, & fuisse unus ex LXXII. interpretibus, qui jubente Philadelpho biblia ex Hebræo in græcum transtulerunt. Librum, qui vocatur *Ecclesiasticus* sive *Concionator* Hebra-

Hebraicè scripsit, ut se vidisse testatur *S Hieronymus* exemplar illud Hebraicum.

Quem librum deinde **JESUS JUNIOR** nepos Senioris **JESUS** transtulit in græcum, in gratiam Græcorum & Profelytorum. Porro liber iste *Ecclesiasticus* adscribitur quidem à multis Salomoni, ejusq; nomine citatur ob similitudinem scilicet parabolarum & phrasium, & quia ex parabolis Salomonis quædam hinc inde huic operi inspersa inveniuntur, libri tamen auctor Salomon non est.

ANTIPATER Philosophus acutissimi ingenij.

ONESICRITUS Eginensis Philosophus.

ARISTOBULUS natione Judæus, Philosophus opera sua scripsit ad regem Ptolom: Philopatorem, fecitque commentarios explicationum in Moyse.

ARCHIMEDES Philosophus Syracusanus, & Geometra excellens, captis

capto per prodicionem Syracusis, cum hostes omnia everterent, ipse diametros suos in pulvere designans à prætereunte milite occisus est; fuit primus sphaeræ fabricator: quanquam hoc inventum à *Laërtio* etiam *Anastimandro* attribuatur; edidit opusculum de cylindro, quod postea *Nicolaus V.* Pontifex in latinum traduci fecit.

PHILOPOMANES Megapolitanus Imperator & Philosophus æquè scientijs, quàm bellicis gestis illustris, temporibus Philopatoris vixit, cujus fortitudinem magno suo & suorum damno expertus est *Cleomenes Rex* Lacedæmonum, qui cum jam teneret Megapolim, & urbis medium forum cum armato milite repentino de nocte impetu occupasset, magnâ suorum strage à *Philopomane* denuò ejectus est. Mortem obiit veneno à *Dinocrate* porrecto sublatus. Fertur de eo, aded frugalem fuisse, & ab omni pompa superflua alienum, ut cum aliquando itinere ad Megarensis fœminæ hospitium.

spitium diversurus ministrum præmiffisset, qui significaret hospitem adventum; fœmina autem, absente marito suo, plurimum ob hospites adventuros consternata, & occupata esset in cœna paranda; primum *Philopomnem* ingressum esse in domum mulieris, quem illa famulum arbitrata in tenui pallio & vestitu vulgari, jussit sibi illicò ligna scindere, opemq; sibi in ministrando adhibere; quam servitutem ille avidus arripuit, ligna scidit, & in culinariis ministeriis operam solertem, ministris regiis scitè dissimulantibus, coquæ impertiit, donec à marito redeunte agnitus & veniam suppliciter rogatus respondit: *nulla conjugis tua, sed indecora faciei mea culpa est, quicquid hic culpa commissum deprecaris.*

NEVIUS Poëta comicus floruit sub Rege Epiphane, ad quem se contulit, cum Româ militum & Metelli factione expulsus esset.

PLAUTUS similiter Poëta comicus

cus ex Umbria Sarsina Romam profectus; vir voluntariè pauperrimus, qui operam suam pro victu ad manuaras molas alicui pistori locavit, & quoties ab opere vacaret, fabulas scribere ac vendere solitus, unde vestitum sibi compararet, victumq; solveret, quem labore manuum ex integro non merebatur. Mortuus ante Chr. circiter an. 188.

Circa Philometoris tempora clamerunt ENNIUS Poëta comicus, natione Tarentius * *Licinus* * qui à Catione quaestore Romam translatus & parco sumptu in monte Aventino habitavit usque ad annum vitæ septuagesimum. *Attilius* * *Turpilius* * omnes comici Poëtæ, floruerunt circa tempora Philopatoris.

PANETIUS philosophus fuit Scipionis consulis præceptor * *Possidius* postea magno Pompejo perquam familiaris * *Sextius Cæcilius* Ennij consubernalis, natione Mediolanensis * *Nigander* poëta Græcus * *Titius Livius* scri.

scriptor tragoediarum & alius à patavino * *Cathin* philosophus natione Ægyptius.

CATO oriundus ex agro *Censorino*: vir fuit integerrimus, qui similem, quam in se repræsentabat, innocentiam in aliis quoque exigebat. Senatoris, Tribuni, consulis, prætoris, bellici imperatoris, Censoris, Philosophi, oratoris, Juristæ dotes amplissimas & maximas raro exemplo in se uno complexus, sicuti per omnium scientiarum classes, ita per omnes gradus dignitatum in gubernanda republica glorioso & intaminato calle pertransiit. Cujus integritatem Deus longævæ senectutis honore coronasse videtur; vixit enim multum supra centum annos, & quidem centum annis integris, eâ valetudinis constantiâ & firmitate, ut nullâ unquam corporis ægritudine afflictus fuerit. Fundamenta posuit præclarissimæ familiæ *Catonum*, quorum virtutibus & præclare gestis reipublicæ Romanæ

flos

los magna incrementa & emolumenta accepit, ut immortale & sacratissimum fieret nomen *Catonum* Romanorum. Mortuus demum anno m. 1904. ante Chr. 149.

PHILO Judæus ex genere Sacerdotum, Alexandriae educatus, doctrinâ & scriptis libris claruit sub Philometore: putant nonnulli, illum librum sapientiæ græcâ linguâ scripsisse, sed probabilius id de ipso Salmone refertur. Fuit alius quidam Philo senior isto Alexandrino, quem Enebrardus numerat inter LXXII. Interpretes.

Circa tempora Ptolomæi Everges celebres fuerunt *Methrodorus* Athenensis Philosophus * *Terentius* Carthaginensis Poëta comicus * *Pacuvius* Brundusius tragædiarum scriptor, *Ennius* ex filio nepos. * *Aristarchus* grammaticus * *Lucius Accius* Tragædiarum scriptor * *Cajus Lucillus* Saty-

S

satyrarum scriptor primus inter Latinos.

HORTENSIUS Romanus, oratorum sui temporis princeps, æmulus fuit quoad vixit Ciceronis, illique secundus. De quo refertur, quod fuerit Orator delicatior, quàm virum decet, & formæ non minùs, quàm eloquentiæ studiosus, quia nunquam speculo inconsulto prodire voluit in publicum, quin priùs in illo semetipsum contemplatus & admiratus fuerit.

HORTENSIA filia fuit HORTENSII, quæ non solùm patris facundiam & doctrinam addidit, sed etiam ipsius pronunciandi splendorem æmulata est. Hæc in Triumvirorum Magistratu, cùm Matronarum Romanarum multitudo, publicâ exigente necessitate aliquando magno onere gravaretur, & nusquam vir inveniretur, qui mulierum causam ageret, sola ausa est animo constanti coram Triumviris eâ facundiâ perorare.

ut ma.



ut maximâ omnium admiratione crederetur ipse Hortensius elocutus esse, eamque ob rem quicquid expetiêrit, obtinuerit.

Floruerunt temporibus Pompeji
Phorius Orator, natione Gallus, qui prius Rhetoricam Romæ docuit, & discipulum Ciceronem nactus est *
Lucius Pomponius Historicus & Orator * *Leonicus* Grammaticus doctissimus, commentarios medicos, quos Pompejus Magnus in Archivis Mithridatis reperit, in latinum transtulit, magno emolumento rei medicæ *
Ultracillus Plotus instructor Cnei Pompeji * *Asclepidus* medicus * *Diodorus* Cardensis Orator * *Metbrodorus* Rhetor Græcus * *M. Furius* Poëta commentato *bibaculus*, natione Cremonensis * *T. Lucretius* Poëta, qui postea inatorio poculo in furorem versus propria se manu interfecit * *Apollo* Pergamenus, Orator Græcus, Claudij Augusti Præceptor, cujus disci.

scipulus quoq; fuit Dionysius cogno-
 mento *Atticus* Historiis clarus * *Theo-*
phanes Mitilenus, qui res gestas Pom-
 peji magni, cui familiaris erat, poste-
 ritati transcripsit * *Mithridates* Phi-
 losophus Pergamenus, qui postea cum
 Julio Cæsare contractâ amicitia ad
 eos honores pervenit, ut Bossori rex
 efficeretur * *Catullus* Poëta patriâ Ve-
 ronensis, qui scripsit amatoria * *Dio-*
dorus Historicus siculus, Græcæ po-
 tissimum historiæ scriptor.

TULLIUS cognominatus MAR-
 CUS CICERO Volscorum genere
 natus anno m. 3948. ante Chr. 105.
 Olymp. CLXVIII. Patrem habuit *Tul-*
lium, matrem *Majam*: in juventute sua
 optimis disciplinis & artibus ita ex-
 cultus est, ut adultâ ætate in omni ge-
 nere scientiarum principatum tene-
 ret, non minùs Palladis togatæ, quàm
 sagatæ strenuus sectator: militare cœ-
 pit sub *Sylla*, sub quo hostes extrane-
 os superare didicit: consul deinde fa-
 ctus anno ætatis suæ quadragesimo
 se-

secundo ad reipublicæ intestinos ho-
 stes, *Catilinam*, *Clodium*, *Antonium*,
Verrem, aliasque sanguinarias conju-
 ratorum cohortes eloquii sui vires &
 arma convertit, tot victoriis in rostris
 potitus, quot nullus imperatorum in
 campis: centies expugnator animo-
 rum perorando triumphavit, & po-
 pulum Romanum rapuit in admira-
 tionem: Experiri nihilominus de-
 buit, quàm incerta sint omnia, quæ
 gratiâ hominum & plausibus nitun-
 tur, quando ipse non solum à *Clodio*
 perditissimo nebulonum in exilium
 actus est, sed etiam iniquissimæ con-
 cordiæ victima cadere debuit, quam
 tres Triumviri, *Antonius*, *Augustus* &
Lepidus conjuratâ tyrannide iniêrunt,
 integerrimorum virorum cruore
 cinxerunt. De morte Ciceronis ita
D. Augustinus lib. 3. de civitate Dei
 cap. 30. *Octavianum* adhuc adolescen-
 tem fovebat *Tullius*, sub spe Reipublicæ
 promovenda contra *Antonij* malitiam;
 & *Augustus Octavianus* *Cesar* *Anto-*
nium

nio permisit Ciceronem occidere, quasi concordia quâdam pacto. Tullius patriæ pater anno vitæ suæ 64. à Popilio, quem ipse defenderat, traditus est voluntati infensissimi hostis sui Antonij; in fuga captus & capite truncatus est, cum prius linguæ partem præscidisset, & caput in rostris Romanis expositum est an. m. 4011. ante Chr. 42. Scribunt Antonium, priusquam capite truncaret, linguæ partem refecuisse propter inuectivas adversus se dictas, cui Cicero dixerit, *nil agit Antoni, scripta diserta manent.*

CATO JUNIOR *Catonis senioris, Censorini dicti, pronepos, Philosophus & Orator clarissimus, Senatûs Romani ornamentum & decus litteraturæ exquisitissimæ, insuper patriæ salutis & libertatis avitæ retinendæ tantâ intemperantiâ æstuans, ut, cum Actiâ câ pugnâ peremptam populi Romani libertatem videret, ferrum in se ipsum strinxerit, & cum vulnus nondum exanimati amici & domestici contine-*

rent



rent atque obligarent, suis ipse mani-
bus vulnus ferociter distraxerit, atque
obfirmato animo se interemerit anno
m. 4008. ante Chr. 45. Vocatur hic Ca-
to *Uticensis*, quia *Ulticæ* violentam sibi
mortem adscivit.

Claruerunt etiam hisce temporibus
Salustius Romanus Historicus ac Phi-
losophus, quem *S. Augustinus* vocat
insignem nobilitate veritatis * *Varro* vir
acumine ingenij & editis copiosis li-
bris celeberrimus, cujus meminit *S.*
Augustinus lib. 6. de civitate Dei, ait
que in omni eruditione versatissimum
fuisse * *Mencrates* Nofensis Philo-
sophus * *Aristodemus* ejusdem Mene-
cratis filius * *Sostratus* frater Aristo-
demi * *Emilius Macer* Poëta natio-
ne Veronensis * *Antonius Musa* Cæ-
saris Augusti medicus, à quo statuâ
publicâ ex ære fusâ honoratus est,
cum gravi morbo eum exemisset: pe-
rijt in naufragio * *Servius Sulpitius*
doctissimus Jurisconsultus * *Falcidius*
Jurisconsultus & tribunus plebis, con-
ditor

ditor legis Falcidæ * *Albanus Tibullus* eques Romanus, Poëta & vir litteratissimus * *Varrus Tucha* Poëta & contubernalis Virgilio * *Messale Corvinus* Orator magno loco apud Augustum, qui regi Herodi benevolentiam conciliavit, ut rex Judææ nominaretur * *Cornificus* Poëta Romanus, & simul militaribus gestis præclarus, à suis militibus destitutus occubuit, quos fugitivos galeatos lepores appellare consuevit * *Cornifica* soror *Cornifici* poëticæ artis præstantiâ cum fratre certavit * *M. Bavus* Poëta celeberrimus, cujus in bucolicis Virgilius meminit * *Tullius* tyro Ciceronis alumnus, & libertus, & socius atque adiutor Ciceronis in litteris, post cujus obitum in prædium Puteolanum se contulit, & in annum centesimum vitam extraxit. *

VENTIDIUS BASSUS humili loco natus patre murario, & à Pompejo cum matre in triumpho ductus, scientiâ & re militari ita profecit, ut ab
Anto-

Antonio provinciarum orientalium
Præfectus constitutus fuerit; Cæsar
deinde favoribus Prætor, pontifex,
Romanus & consul factus fuit, quâ dig-
nitate postremâ obtentâ circumiens
Romæ exclamavit ad cives: *videte
portentum, qui muros fabricabat, consul
factus est Romanus.*

VIRGILIUS MARO Poëtarum
princeps, natione Mantuanus, natus
anno m. 3984. ante Chr. 69. ingenij
fuit ad poësin & Mathesin, aliasque li-
berales artes à natura ficti factique, &
industriâ constantiâque mirificè à
primis annis elaborati claritate & ce-
lebritate Cremonam, Mediolanum,
Neapolim & Romam illustravit. O for-
voluptatis & spurcitiarum, *Cæsari Au-*
gusto ob puritatem in scriptis & mori-
bus valde acceptus & dilectus, obiit
tandem Brundusij anno ætatis suæ 52.
cujus ossa Neapolim translata in via
Puteolana condita cum epitaphio,
quod ipse sibi condidit.

S 5

Man-

*Mantuam genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope; cecinit pascua, rura, duces,*

MECÆNAS vir litteratus & litterarum fautor ac protector singularis, *Augusto Cæsari* familiarissimus & in summis amoribus propter fortitudinem, felicitatem & in monendo libertatem cum maxima prudentia conjunctam; cui urbis custodiam tradere non dubitavit, quia ab omni ambitione, dolo & omni cupiditate alienum novit. Fuisse autem illum præsidium litteratorum ex *Virgilio, Horatio* & alijs notissimum habetur, nec sine gloria nomen MECÆNATIS ad posterios benignitatis ipsius imitatores propagatum est. Obijt anno 5046^a ante Chr. 7.

HORATIUS Poëta patriâ Venusinus patre Libertino natus ex humiliforte, ingenij & litteraturæ præstantiâ evasit ad Tribunatum, quo à *Bruto Cæsaris* interfectore honoratus est. Post *Brutum* autem devictum ad *Augustum* reversus *Mecænatis* patrociniio &

& intercessione gratiam favoremque
 ejus obtinuit, & vitam poësi concin-
 nandæ addixit tam eleganter, ut inter
 Lyricos principatum mereatur. Mor-
 tuus est anno vitæ quinquagesimo
 septimo, ut creditur ex nimio dolore
 ob *Mecanatem* suum paulò antè de-
 functum. Vir fuit linguâ melior, quàm
 vitâ, in cujus sepulchro sine injuria
 (& ipso neutiquam repugnante) in-
 scribi posset: *Epicuri de grege porcus,*
 adeo voluptatibus sese laureatum
 mancipium consecravit. Cumque ex
 poësi suâ valde opulentus evasisset,
 obiens hæredem scripsit *Augustum*, si-
 cut etiam *Mecanas* fecit, fuitque maxi-
 mâ pompâ apud *Mecanatem* suum
 sepultus.

Illustres circa eadem tempora exti-
 terunt *Cornelius Gallus* Poëta * *Bassus*
 ornatissimus Orator & Dux Augusti
 Cæsaris præstantissimus * *Strabo* Hi-
 storicus, Geographus & Philosophus
 natione Cretensis * *Solinus* Histori-
 cus & Orator gravissimus * *Titus Li-*

vius Patavinus Historicorum tam Græcorum, quàm Latinorum princeps, obiit anno post Christum natum 27. *

Valerius Maximus Romanus, Philosophus & Orator eloquentissimus, cui familiare erat illud: *Lento gradu ad vindictam sui divina ira procedit, tarditatemque supplicij gravitate compensat* *
 Anthenodorus patriâ Tharsensis Philosophus Stoicus *

OVIDIUS NASO Sulmonensis Poëta clarissimus, elegiarum elegantiam plurimum apud Augustum valuit, sed anno ætatis suæ quinquagesimo ab eodem *Augusto* in Pontum insulam apud Sarmatas est relegatus; de crimine non satis constat, in lib. de ponto sic ipse quidem de se canit:

*Naso nimis prudens artem dum tradit amandi,
 Doctrina precium triste magister habet.*

Sed fuerunt etiam alij, qui eadem ætate scripserunt lasciva impunè, igitur per hoc non videtur exilii sententiam incurrisse. Affirmant nonnulli cum *Livia Drusilla* imperatrice nimis familia-

miliarem fuisse, & artis amatorix negotium tractare voluisse ; unde (mitigata mortis sententia) in exilium relegatus fuerit. Obiit an. Chr. 17. exilii sui anno septimo, non tam bene meritus de poesi, quam male de suis moribus.

§ 10. *Bella & bellis clari.*

Quo tempore bella Judæorū ple. raq; gesta sint, supra commemoratum in gestis Pontificum, & Ducum Judæorum: quos inter Machabæorum gloria præcipua enituit, & præter alios specimen suæ fortitudinis singulare præbuerunt *Eleazarus & Razias.*

ELEAZARUS cognomento ABARON interpretandum cum *Antiocho*, ratus præclaro elephanto insidere regem, illuc cursu, cæsis hinc & inde hostibus pervenit, & succedens sub ventrem ejus, belluam suffodit, cujus ruentis pondere, ipse quoq; oppressus est. Erant autem elephanti in illa